

primus, nimirum 100. ut fiant 770. atque hic numerus per 10. dimidium numeri terminorum multiplicetur, fiet summa omnium terminorum 7700. Tanta ergo fuit summa pecuniae distributae. Tota vero progressio ita se habet.

100. 130. 160. 190. 220. 250. 280. 310. 340. 370.  
400. 430. 460. 490. 520. 550. 580. 610. 640. 670.

PROGRESSIONES  
GEOMETRICAE.

CAP. XXV.

**P**rogressio Geometrica est series pluriū numerorum se in eadem proportione superantium, ut hic apparet.

Progres-  
sio Geo-  
metrica  
quid.

1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512. 1024. 2048. &c.  
1. 3. 9. 27. 81. 243. 729. 2187. 6561. 19683. &c.  
3. 6. 12. 24. 48. 96. 192. 384. 768. 1536. &c.

Prima enim harum progressionum progreditur per proportionem duplam, ita ut quilibet numerus sit duplo maior eo numero, qui eum proxime praecedit; Secunda vero per triplam, ita ut quilibet numerus sit triplo maior eo, qui proxime eum antecedit; atque utraque harum progressionum ab 1. incipit; tertia denique per duplam etiam proportionem progreditur, non tamen ab 1. sed à 3. initium sumit.

Continuatur quaelibet progressio Geometrica;